


Ad Augustissimum
MAGNAE BRITANNIAE,
Galliæ, et hiberniȩ regem dominum
Suum Clementissimum
Alexandri Iulij
Terra marique metus et stupor.





Vna eademque patri et tulimus donaria nato,
Nempe hic vnus erat cum patre, et vnus erit.





Ad Augustissimum

MAGNAE BRITANNIAE,

Galliæ, et hiberniȩ regem dominum Suum Clementissimum

Alexandri Iulij.

Terra marique metus et stupor.

QVis locus in terris, quis erit mihi tutus in vndis?
Cùm toties terra videar iactatus et vnda; (rum
Vndique quem circum stupor, et fremuere mina-
Fulmina, vibrato timor et mors lurida telo.
Dum peto metropolin Colrossa puppe Britannam,
Regni insigne caput fama super æthera notum
Delicias secli studio feruente videndi;
Fluctibus in mediis quantus pauor hauserat imo
Pectore corda meo, et sensus stupefecerat omnes!
Quantaque confusam capit admiratio mentem!
Membra ratis rapidas ventis agitata per vndas,
Nec rupta immenso passim fluitare profundo;
Nec vasta inclusos robur quos vexerat aluo
Squamigera absumptos turba, nec mersa marinis
Corpora nautarum præberi pabula monstris,
Præsentem cùm cuncta viris, puppique ruinam
Intentant cæli fragor, et Neptunia regna;

Cùm medium abrumpens aduerso flamine cursum
Horrendùmque tonans Auster de tramite recto
Flexerat, et contrà obnixos Aquilonis in ortus
Traxit, et immissæ classi laxantur habenæ,
Ambiguique malis stupet ars et cura magistri:
Hîc mors certa mihi, non expectandus ad actam
Appulsus fuerat, lustrato aspergine ponti:
Prætereo reliquas exhausta pericla per oras,
Et quoties trepidum patria et torqueret Ierne,
Non minus his terris, cum jam compleuerit orbes
Cynthia bis senos, conducti creditor æris
Hospita, mercator, turba et studiosa popinæ,
Scriptaque dica, suo cum debita jure reposcunt,
Carceris hinc tenebræ me, deficiente crumena,
Exanimant, et membra vetant refouere quiete;
Qua mihi mors potior vitæ ratione videtur:
Nec minor, in terra hac firma vestigia planta
Figere cùm licuit, trepidos stupor occupat artus;
Vrget et inertes sensus, et lumina mentis
Perstringit, causas rimor dum forte latentes,
Cur regno in tanto, lætæ indulgentia fortis
Quod fouet, ingenijs, opibus, virtute, senatus
Consilijs florente bonis, et honore vigente,
Regifico in luxuque Arabumq; in diuite Gaza;
Inter amicitiæ quondam consortia blandæ
Inter et innumeros tenuis nostræ artis alumnos
Posse putem fieri tantarum vt copia rerum,
Nulla ope defectas ære argentoque crumenas
Subleuet, infusa diducta per ora medela;
Quò magis illa sequor cupidè, magis illa sequen-(tem
Me fugêre, propinquantem fugitiua relinquunt,
Vt prope Tantaleos fluuios, hortique colonus
Tantalei siccas vrat sitis arida fauces
Et confecta fame jejuna membra laborent;

Tur-

Turbaq; fautorum quondam numerosa meorum
Diues opum, pauperq; animi quid amica recuset
Pignora, musarum comitemq; et sacra colentem
Nunc ope destituens, mutata mente, jacentem?
Non ego more canum iactos vrgere lapillos
Instituam, insana numenque lacessere voce,
Immeritumq; meæ tempus genitabilis horæ, et
Sidera iniqua mihi dira exagitare querela:
Si documenta meæ voluerunt commoda vitæ,
Quæ patienda mihi veniunt mala, fata sinistra;
Id si erat in fatis, mihi sunt mea fata sequenda,
Nec spectanda pio est malegratæ iniuria mentis;
Hinc placidè amplector nigro liuentia tabo
Pectora, sic gratum est fucati crimen amici,
Sustineoque volens vanæ conuitia linguæ,
Paupertatis onus toleranter ferre laboro;
Sic mens nixa deo firmè, discrimina fortis
Prouocat, vt pelagi rupes scopulosa procellas
Cùm sint visceribus diuinæ hæc spicula dextræ
Fixa meis, putris queis vomica rumpitur altè
Insita, ne longè latèque per omnia serpat,
Tristius, vt quæ jam dederant, ea vulnera curent;
Tanta dei accensam clementia temperat iram;
Ille mihi in tenebris prælucens, lumina vultus
Illustrata sui radiis me vertere in vnum
Te docuit, regni decus et tutela, Britanni;
Ingenii meritis totum qui impleueris orbem,
Per quem iam posito pacantur secula bello;
Pacifici vt titulis regisque fruare beati,
Aurea dum tacito labentur sidera cælo;
Qui merito regni et regis contentus honore
Spreueris argenti congesti pondera et auri;
Quemq; iuvabat opes laudum cumulare tuarum,
Inque animis hominum veram hanc deponere gazam:

 En

En tibi posse datur turbatæ nubila mentis,
Curarumque æstus, motosque abolere tumultus
Pectoris, et stupida formidine corda leuare,
Tranquillare animos, et dura retexere fata,
Dura mihi, domino regi non dura volenti.
Ergo age munifica, Cæsar, tot millia dextra
Exhilarata beans, quot magna Britannia latis
Educat aruorum campis, nunc aureus imber
Prædioli riget arua mei, frontisque serenæ
Aura micans foueat, radijs tepefacta fauoris:
Si malefæcundæ mandes hæc semina terræ,
Luxuriantis agri messes granaria rumpent;
Deque tuo ingenium pendens mutabile vultu,
Aut hebes auerso cadet, erectumue sereno
Carmen inauratum vena de diuite fundet.
Quin scio, nec mihi mens jam spe blanditur inani,
Pristina nec fluxit, nec erit mutata voluntas
Regia, nec fuerit labor hic effusus, et ægro
Nunc laceræ luctu votis potiora camœnæ, et
Plura ferent, vt apud memores stet gratia facti,
Et genio cæli post liberiore fruantur.

Calend. Ianuarij. 1617. Ad regem *benignissimum, strena.*

PErfricuit frontem nostræ temeraria musæ
  Pagina, judicium jam subitura tuum;
Qui sacra musarum studio florente colebas,
  Qui potes et Clario condere digna deo;
Et quanto solij triplicis diademate fulgens
  Altior es nostri conditione loci;
Tanto etiam vates sub te premis altior omnes,
  Cum fluit ingenij vena benigna tui:
Sed tamen augustæ diuina modestia mentis,

Hæc

Hæc in te quamvis omnia summa, premit;
Hæc qui summa dedit, longæuæ tempora vitæ
Augeat, et voti summa sit ista mei:
Te viuo, incolumi, sat amico te mihi fælix
Quæ dicenda bono sunt bona verba die.

Calend. eisdem ad Carolum Principem *serenissimum*, *strena*.

MVtua munificis Iani cum danda Calendis
Munera sint, musæ muneris instar erunt;
Quæ prius obductis longùm latuere tenebris,
Se cupiunt radijs exhilarare tuis:
Vindice te, mersum caput exertare vicissim
Vt juvet, et genio liberiore frui,
Et tanti Herois chartas implere capaces
Laudibus, optata cum releuantur ope:
Argenti venas, fulvi venatur et auri
Quilibet arte bona, marte vel arte mala;
Sordet ea amusis, splendet quæ vena Camænis
Ingenij, at musis vtraque grata meis;
Has inopes opibus venum proponere venas
Non pudet ingenij, et vendere verba tibi,
Ista precaturas mensis cuiusque Calendis;
Det deus vt dignus sic videaris auis,
Tantis dignus auis, et dignus vtroque parente,
Imperio vt redeant aurea secla tuo;
Nestoreosque piam vitam protendat in annos
Sufficiens patris pectus et ora tibi:
Prospera sic semper maneat fortuna, beata vt
Vndique sit cunctis vita referta bonis.

FINIS.